

44, 40

MARTYRES
DIVINITATIS SPIRITUS
SANCTI TESTES

ET

VINDICES
CONTRA GVILIELMVM
WHISTONVM

COMMENTATIONE HISTORICO-THEOLOGICA
RECENSUIT

M. GOTTLOB FRIDERICVS
GVDE

CATECHETA AD ÆDEM D. PETRI.

LIPSIÆ,

Literis ANDREÆ MARTINI SCHEDII
ANNO MDCCXXVI.

A. 44, 40.

Coll. diss. A
44, 40

MARTYR
MARTYR
SACRIFICII
CATHOLICIS
CONTRA CALVINIANAM
HERESIM
COMMENTATIONE HISTORICO-THEOLOGICA
M. GOTTLOB LAMBERTI
G. D. R.
CATECHETICA AD MODUM D. LAMBERTI
LIPSIÆ
IN ÆDIBUS MANTII BUCHHOLZII
ANNO MDCCCLXII



*SERENISSIMO PRINCIPI
AC DOMINO*

DOMINO

CHRISTIANO,

SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MON-
TIVM, ANGARIÆ QVOQVE AC WESTPHALIÆ DV-
CI, LANDGRAVIO THVRINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ,
LVSATIÆ SVPERIORIS AC INFERIORIS, PRINCIPI CO-
MITI HENNEBERGIÆ, COMITI MARCÆO BARBIÆ

ET RAVENSBERGÆ &c.

*PRINCIPI AC DOMINO MEO
LONGE CLEMENTISSIMO.*

SERENISSIME PRINCEPS,
DOMINE CLEMENTISSIME.



*E*X quo, SERENISSIME PRIN-
CEPS, TVA singulari gratia me di-
gnari cœpisti, TE coram orationem
sacram in oraculum Davidis ex Ps. XL,
13. quo elapso anno Saxonia cives ad pœnitentiam
prima vice excitabantur, habendam clementissime
mihi demandando: de nulla re magis mihi cogitan-
dum esse existimaui, quam qua ratione devotissimas
grates, quas mens mea fovebat, publico quodam,
utut levi, specimine declararem. Neque citius mihi
de eo meditati quicquam se obtulit, quam ubi
martyres Spiritus S. divinitatem vindicantes in pu-
blicum prodeundi occasionem nanciscuntur, & TI-
BI

SI simul gratæ mentis meæ testes se sistendi mihi
ansam præbent. Quam eo libentius arripui, quam
TVAM SERENITATEM, SERENISSI-
MORVM MAJORVM TVORVM am-
plissima in puriorem ecclesiæ Christi doctrinam meri-
ta indies augendo, omnium oculos atque laudes in
se convertisse cognoverim. Unde spes orta fuit certissi-
ma, fore, ut SERENITAS TVA præsentis qua-
les quales pagellas, licet haud quaquam ob collecto-
ris, collectorum tamen martyrum dignitatem serena
fronte dignetur. Nullo unquam tempore, qua me
foves gratia, mente mea excidet, quin nihil anti-
quius nihil me decentius ducam, quam pro TE, SE-
RENISIME PRINCEPS, humillimas &
indefessas preces facere, ut potentissimus Principum
Princeps SERENITATEM TVAM per innu-
meros adhuc annos salvam incolumemque conservet.
Hæc vovet, hæc precatur

SERENITATI TVÆ

subjectissimus devotissimusque
GOTTLOB FRIDERICVS GVDE.



BENEVOLE LECTOR,

Q*ui in conspectum Tuum nunc prodeunt Martyres, antea tres annos Festo Pentecostes Lipsiae in aede Paulina Spiritus Sancti causam pro cathedra solenni ritu dixerunt. Et cum ad quosvis haereticos si non convincendos, saltem confundendos nullo non tempore plurimum certe fecerint; nunc etiam Spiritus Sanctus vindices adversus Pneumatomachos in arena comparere satagunt, spe freti certissima, fore ut eos Benevolus Lector pro humanitate sua serena fronte excipiat, eorundemque testimoniis ad Spiritus S. cultum magis magisque incitetur; de reliquo suum collectorem Benevoli Lectoris studiosissimum favore suo ne dedignetur.*

CON-



CONSPECTVS DICENDORVM.

- §. I. *S*piritus S. divinitas omni etate a Christo nato fuit impugnata.
- §. II. *N*ostro aeo alios inter a Guilielmo Whistono.
- §. III. 1. *C*ontra clarissima S. S. oracula ab ipso dissimulata.
- §. IV. *Q*ue hoc in dogmate creditu summe necessario unicum est cognoscendi principium.
- §. V. *U*nde Theologorum multi hoc dogma etiam expositum & vindicatum dederunt.
- §. VI. 2. *C*ontra primæve ecclesie testimonia.
- §. VII. *E*t speciatim contra Martyrum pronunciata a vobis in presenti exhibenda.
- §. VIII. *C*um selectu tamen alleganda.
- §. IX. *Q*ua inter primum occupat locum Polycarpi.
- §. X. *S*equitur Epipodii testimonium.
- §. XI. *V*incentii Levitz.
- §. XII.

§. XII.

§. XII. Bonosi & Maximiliani militum.

§. XIII. Euplii.

§. XIV. Martialis.

§. XV. Felicitatis.

§. XVI. Afree.

§. XVII. Julittæ.

§. XVIII. Athenogenis.

§. XIX. Recensentur duo hymni a martyribus compositi.

§. XX. Concludit commentationem.



Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

§. I.



Vemadmodum prima fere a Christo nato ætas ejusmodi tulit homines, qui Christianorum nomen mentiti, Scripturæ Sacræ oraculis insuper habitis, quinimo in sua convicia obtorto collo abreptis *divinam Spiritus Sancti naturam* labefactare moliti fuerunt; (a)

sic nec media & recentiora tempora medio in Christianæ Ecclesiæ gremio in Spiritum Sanctum & innumera ejus in humanum genus collata beneficia adeo injuriosos desiderant, (b) ut Arianis, Macedonianisque subscribere, eorumque detestandas Spiritus Sanctus vituperationes ex orco revocare haud erubescant.

(a) Præter *Simonem Magum*, *Cerdonem* A. C. 141 & *Manetem*, qui semetipfos Spiritum Sanctum esse temere jactaverunt, hic nominandi inprimis sunt *Ariani*, quibus de *Epiphanius Heresi LXIX. §. 52.* παντι τῆτο δῆλόν ἐστιν, ὅτι ὁμολογῶσι τῆς ἀγγέλης ὑπὸ τῆ ὑιῶ γεγονέναι. Καὶ γὰρ καὶ περὶ τῆ πνεύματος, βλασφημῶσι καὶ τολμῶσι λέγειν κέχτιθαι ὑπὸ τῆ ὑιῶ. & *Augustinus Heresi LXIX Ariani ab Ario in eo notissimi sunt errore, quo Patrem, Filium & Spiritum Sanctum nolunt esse unius ejusdemque nature, sed esse Filium creaturam, Spiritum vero Sanctum creaturam creaturæ.* Ipsum *Arium* quidem impium dogma de neganda Spiritus Sancti divinitate divulgasse ex Historiæ mo-

A

nu-

numentis confirmari non potest, quemadmodum *Sandius* asserere & probare conatus fuit; quare etiam in *Symbolo Concilii Nicani primi* in transcurso tantum Spiritus Sancti fit mentio. vid. *Waltherus Dissert. de Fidei Nicenae Antiquitate, veritate & Necessitate*. §. 12. cf. etiam *Hildebrandi Historiam Conciliorum* p. 40. Quibus cum consensere *Macedoniani Macedonium* maxima cum copia secuti, qui referente *Ruffino* L. I. H. E. c. 25. pro concione docuerat; *Spiritum Sanctum Patre & Filio minorem, nec ejusdem cum eodem substantiæ, sed meram creaturam esse, & vim a Deo conditam, quæ per divisionem essentiæ rebus creatis insit*. Ideo *πνευματόμαχοι*, etiam dicti & damnati *Concilio II. Oecumenico Constantinopolitano*. vid. *Hildebrandus* l. c. p. 78. cf. etiam *Nazianzenus de Macedonianis*.

(b) Pertinet huc *Gallus* quidam narrante *Bellarmino* L. de *Christo* c. II. Anno 1081. docens, *Patrem esse omnipotentem, Filium semipotentem, Spiritum Sanctum nullipotentem, animamque, Platoniorum more, mundi!* quem *Seculo XVI. An. 1553. Michael Servetus* sequebatur de *Spiritu Sancto* libro suo de *Trinitatis erroribus* L. VI. circa finem p. 109. & 110. asserens: *Dico igitur, quod Spiritus S. est divina in hominis Spiritu agitatio. Sic quæ agitando illustrat Deus, & illustrando sanctificat. Neque exigitur hic definitio quidditativa, nam de genere modus est vox Spiritus & quia sic movendo, Christo credentes sanctificat Deus, ideo dicitur Spiritus in homine sanctus, & ex fide Christi. Idemque* L. IV. p. 85. *Extra hominem nihil est Spiritus Sanctus. Quo cum fecere & adhuc faciunt Serveti asseclæ Socinus cum sua cohorte: Ita Ostorodus in Institut. Germ. Cap. IV. n. 4. scribit: Es ist offenbar, was wir von heil. Geiste halten; Nämlich daß er keine Person sey, welche von dem einigen wahrhafftigen Gotte, dessen Geist er ist, unterschieden wäre, sondern nur allein seine Krafft, wiewohl nicht eine iegliche sondern nur diejenige, welche da irgend auf einerley Weise heilig macht. Et Socinus in Explanacione locorum, quæ pro divinitate Spiritus S. solent afferri p. 105. multa de Spiritu S. in scriptura dici, quæ proprie loquendo, personis tantum conveniunt, sed nihilominus pro-*

pro-

propter multas causas omnino statuimus, ipsum non esse personam sed ex earum rerum numero, de quibus Scriptura ita loqui solet, ac si essent persone, quumvis revera non sint. Nec non Smalcus Refutat. Thesum Schopperi de S. Trinitate p. 14. Spiritus S. etiam si ut persona introducatur, dum ea illi tribuantur, que persone conveniunt, tamen pro persona haberi non potest. Nam que illi tribuntur persone propria, ea per figuras S. literis usitatissimas, Metonymiam & Prosopopoeiam excusari possunt. En confirmatum Augustini essatum quod reperitur L. III. de doctrina Christiana. c. X. si animum præoccupavit alicujus erroris opinio, quicquid aliter asseruerit Scriptura, figuratum homines arbitrantur vid. D. Scherzeri Collegium Anti-Socinianum p. 94. 178. seq. 609. Edidit etiam Johannes Bidle l. Bidellus Scholæ Glocestriensis præfectus Anno 1648. Confessionem fidei de Trinitate cujus Articulo VI. de Spiritu S. docuit: Credo esse præcipuum quendam ministrum l. angelum Dei & Christi singulariter de celo missum ad sanctificandam Ecclesiam, qui propter excellentiam & familiaritatem cooptatus, tertiam ejus personam constituit, qui ipse Dei Christique minister est Spiritus S. cf. D. Joh. Frid. Mayeri Diss. Theol. de Johannis Bidelli vita, illiusque Sententia. Gryphis-Waldia. 1710. De Christophoro Sandio constat, per Spiritum S. Genus quoddam angelorum intellexisse, vid. C. C. S. Problema Paradoxum de Spiritu S. annon per illum Sanctorum angelorum genus colligi possit, una cum refutatione opinionis Socinianorum, Spiritum S. personam esse negantium. Colonia (h.e. Roterodami) 1678. Cui opposuit D. Justus Christophorus Schomerus, Assertionem Endoxam fidei Christianæ de Spiritu S. contra novam & ante hac inauditam heresin sub schemate problematis paradoxo nuper in lucem protrusam; nec non Wittichius Leidensis Theologus Causam Spiritus S. Lugd. Batav. 1678. 8vo. ut & Causam Spiritus S. victricem. ibid. 1682. 8vo. vid. D. Joh. Frid. Mayeri Diss. de Christophoro Sandio illiusque sententia. Gryphis-Wald. 1710. Reliquos veterum & recentiorum temporum adversarios Spiritus S. divinitatis recensitos vide in D. Joannis Schmidii Diss. de Testam. SS. Trin. Persona Spiritu S. §. 10. & D. Buddæi Institutionibus Theol. Dogmat. p. 314. sqv.

§. II.

Horum recentiorum Pneumatomachorum numerum Guilielmus Whistonus Mathematicum olim Professor publicus Cantabrigensis, sed ob Arianismi labem Anno. 1710. d. 30. Octobr. officio mtous (c) adauxit. Quandoquidem Expositione sua fidei duorum priorum seculorum de S. S. Trinitate (d) Spiritui S. divinitatem denegare sibi haud religioni duxit. Fundamenti loco ad Scripturae & primæve Ecclesie membrorum de divina Spiritus S. essentia silentium temere & audacter provocans. (e)

(c) Cujus expulsionis historiam ipse recenset: *Præfatione historica Christianismo primævo resuscitato præmissa, cum Appendice, qua continetur actionis Autori in Academia Cantabrigiensi intentata, ejusdemque ex ea expulsionis Historia.* quæ prodiit Londini. 1711. 8vo. recensita supplement. *Actor. Eruditorum Tomo V. p. 206.*

(d) Quæ inserta est *Volumini IVto Primævi Christianismi resuscitati MDCCXI.* Londini editi.

(e) Verba ejus sunt sequentia: *The Holy Spirit of God is a Divine Person, made under the Father and the Son; of different Perfections and Officer from the Son of God; Superior in Nature and Attributes to all Subordinate Creature, but Inferior and Sub-Ordinate to the Father and the Son in the Creation and Govenament of them; the Inspirer of the Prophets and Apostles. the Worker of Miracles; the Comforter of Sanctification to all quod Men; and the principal Witness to our Blessed Saviour. h. e. Spiritus S. Dei est Persona divina; facta sub summo Deo, per Salvatorem nostrum; seu justo sensu, a Patre & Filio Dei procedens; perfectionibus atque officiis a Filio Dei prorsus diversa; natura & attributis superior, creaturis omnibus subordinatis, ac Patre Filioque inferior, iisque subordinata in creatione ac gubernatione rerum: inspirator Prophetarum & Apostolorum; patrator miraculorum, Ecclesie Paracletus; magnus sanctificationis in piis omnibus aut or & Præcipuus Salvatoris nostri testis. Idem Articulo X. l. c. aut: *The Holy Spirit is never, either**

in

in Scripture or the most primitive antiquity called directly God: or Lord, our God, or our Lord; our King or our Judge, nor Was he then proprius Invocatus by any Christian; Spiritus S. nunquam nec in Scriptura S. nec primæva antiquitate discrete dictus est DEVS vel DOMINVS, Deus noster, vel Dominus noster, Rex vel Judex noster; neque tunc ab ullo Christianorum proprie invocatus est. Eadem ferme criminationes Præfat. lit. (c) citata continentur quando hæc movet blasphemias quæstiones: Ubi Spiritus S. directe vocatur Deus vel Dominus in Scriptura, vel maxime primævis Patribus? quis unquam Christianorum ante Synodum Nicanam ausus est invocare Spiritum S. cf. etiam quæ de Whistono disserit Buddus l. c. p. 328. Eiusdem asserti accusavit Bellarminus Erasmus Libro: de Christo. Scripsisse eum: Nos audere Spiritum S. Deum appellare, quod veteres non fuerint ausi.

§. III.

Pudeat vero virum Christianis sacris innutritum tantæ impudentiæ & audaciæ *Scripturæ S. silentium de Spiritus S. divinitate præfractè simulantis.* Plenæ sunt tam veteris quam novi præsertim fœderis (f) tabulæ clarissimis locis & Nomina, & Attributa, & Opera & divinum honorem Patri & Filio æqualem Spiritui Sancto asserentibus atque vindicantibus. (g) Conferatur quæso Ps. XCV, 9. seq. cum Hebr. III, 7. Deut. XXXII, 12. & Exod. XVII, 7. cum Jes. LXIII, 14. Jes. VI. cum Act. XXVIII, 25. conf. Matth. XII, 31. 32. Luc. I, 35. (h) Joh. XX, 22. I. Theff. IV, 8. Act. V, 3. (i) Quibus locis omnibus palmam facile præripere potest *sacri Baptismatis Institutio* Matth. XXVIII. qua Salvator noster optimus Spiritum S. Patri atque sibi tuncquam personam a se & Patre distinctam, ratione essentiæ autem æquam adjungit, discipulos suos jubendo, ut in ejus nomine baptizent. (j)

(f) Quamvis enim V. T. fideles mysterium deSS. Trinitate non ignoraverint, uti Calixto olim visum fuit, sed in eundem Deum

crediderint, in quem nos credimus, unitrinum tamen non ad-
 eo multis luculentisque verbis hoc mysterium illis Deus manife-
 stabat, ac quidem novi testamenti tempore. Cujus rei hanc
 rationem reddit *Galatinus* L. II. *Catholicae Veritatis* c. 1. *quod proni*
fuere Judaei in fidem plurium DEORVM. Nos vero potius ad pe-
 culiarem Dei œconomiam qua V. T. ex libero arbitrio ecclesiam
 moderabatur, & utut sufficienti, tamen minori gradu ac quidem in
 N. T. se manifestabat provocandum esse existimamus. cf. 1. Regum
 VIII, 12. & ad h. l. Theophili Amelii (h. e. Petri Zornii *Erörterung*
der dunckelsten und schwersten Schrift-Stellen im A. T. P. I. p. 12.

(g) Negari omnino non potest, vocabulum Spiritus esse *πολύση-
 μον* uti videre licet ex *Ravanelli Bibliotheca* sub hac voce; sed
 ab antiquis pariter ac recentioribus Ecclesiae Doctoribus suppe-
 ditatae sunt certae regulæ; ad quas tanquam ad amissum loca
 S. in quibus hoc vocabulum occurrit examinari, & significatus
 huic atque illi S. loco competentes cognosci possunt. Itajam
Origenes *περὶ ἀρχῶν* L. I. c. 3. *Quidam ex prædecessoribus nostris*
in Novo Testamento observant; quod sicubi Spiritus nominatus si-
ne adjectione, quæ assignet, qualis sit Spiritus, de Spiritu S. de-
bere intelligi; quam regulam Hieronymus in Caput II. Michaë va-
riis exemplis probat. Cui regulæ adjecit alteram *Didymus Ale-*
xandrinus L. *de Spiritu S.* (quæ translatus extat ab Hieronymo
 tomo ultimo Opp. suorum) *Apostoli quando intelligi volunt per-*
sonam Spiritus S. vel addunt epitheton ἁγίου vel articulum τὸ;
quando vero sine articulo nomen ponitur, non ipsa persona, sed
dona signifi. antur uti Lucæ I, 17. Hasce duas autem regulas ex-
 ceptionibus non carere ex multorum exemplorum inductione
 probari potest, sæpius enim nomen Spiritus cum adjectione
 usurpatur, de Spiritu S. intelligenda conf. Luc. IV, 18.
 1. Cor. II, 11. Joh. XV, 26. Eph. I, 13. Interdum etiam voci Spi-
 ritus additur articulus & Epitheton ἁγίου, nec tamen tertiam
 Deitatis personam significanti conf. Act. VIII, 18, X, 44. Eph.
 II, 18. V, 18. 2. Theff. II, 12. Hinc ab *Athanasio* in *Epistola ad*
Serapionem Tomo I. Opp. extante hæc regula novis circumstan-
 tiis, Spiritum S. hoc l. illo loco intelligendum esse, ostendenti-
 bus audacta fuit: *Nusquam Spiritum S. in Scripturis vocari*
sim-

simpliciter Spiritum sine additamento Dei, aut Patris, aut a me i. e. ex Deo, vel absque articulo, vel Christi vel Filii; aut ut non adjungatur sanctus, aut Paracletus, aut Veritatis, i. e. Filii, qui se ipsum nominat Veritatem, aut ut non antecedit vel sequatur talis descriptio, ex qua certo colligatur intelligendum esse Spiritum S. breviter, Vox Spiritus simpliciter & absolute posita, nec adjecta antecedente vel consequente descriptione notare, nusquam significat Spiritum S. Hinc facile colligere est; ubi Spiritus S. intelligatur, quando nempe id ostendunt textus circumstantia & nota aut descriptio. Quam regulam, quoad posteriora inprimis verba assensum mereri omnium optime judicamus, ut scilicet ex textus circumstantiis conjiciamus, quis hujus vocis sensus sit. Subscribimus, D. Gerharo Tomo I. LL. TH. p. 610. observanti. Ubicunque talia de Spiritu Dei predicantur, quae personae ejus non conveniunt & in divinam naturam minime cadunt tunc de donis s. effectibus Spiritus S. in hominibus easunt intelligenda.

(h) Cf. Jes. XLVIII, 16. Ex hoc loco constat Spiritum S. misisse Christum non quoad divinam, sed quoad humanam ipsius naturam. Equidem *Lalemandet Ordinis Minimorum in Germania Provincialis Tr. de Natura DEI, ejus attributis & Trinitate personarum Disp. V. P. II. §. 9. p. 212.* missionis personarum mysterium rem non adeo momentosam appellat. Sanioris autem mentis fuit *Gaudentius Brixienfis Episcopus*, qui *Tr. XIV. in Biblia Tomo V. Biblioth. Maxime Patrum p. 966. lit. C.* luculenter declarat, quantum insit: *Dispensatio salutis nostrae est, quod mittens praedicatur & missus. Aliter enim credere mens humana non posset, Patrem Patrem esse, & Filium Filium, & Spiritum S. Spiritum S. nisi distinctionem disceret ex nuncupatione mittentis & missi. Et rursus unam divinitatem non agnosceret Patris & Filii, & Spiritus nisi missam legeret a mittente nulla tenus separari:*

(i) Cujus luculentissimi testimonii nervum ut incidant Sociniani ingenii sui nervos contendunt omnes. Sic *Philippus a Limborch Theol. Christ. L. II. Cap. XVII.* per Spiritum S. dona ejusdem

dem

dem intelligit, quibus instructi erant. Imo observante B. D. Godofredo Oleario in Collegio suo Thetico Msto Socinianorum quidam eo audaciæ procedunt, ut hanc phrasin; *mentiri Spiritui S.* interpretentur; *se jaclare Spiritum S.* contra Genium Græcæ linguæ & textus circumstantias. Quem vero græcæ linguæ usum a Socinianis ignorari, sæpiusque ex receptæ hypotheseos præjudicio postponi observat *Jacobus Elsnerus in Præfat. Observat. suarum S.*

- (1) Cujus oraculi *γνησιότητα* nemo in dubium vocare ausus fuit præter *Georgium Blandratam* (Medicum Transylvanum in Transylvania *Claudiopolios Synodo Anno 1568. Spiritus S. Deitatem publice impugnantem, referente D. Johanne Schmidio Disp. de Tertia S. S. Trinitatis Persona Spiritu S. 1637. Argentorati habita*) in *Refutat: Georgii Majoris fol. IV. fingentem Verba illa ab Athanasio inserta fuisse*; quem secutus est *Anonymus* quidam apud Photium, impudens homo multa, nullius tamen pretii nugatus, quas tamen nugæ Seculo nostro *Socinianæ Sectæ* quidam addictus in *Interpretationibus Paradoxis* recoxit, urgens potissimum (1) *Hieronymum* hæc verba inseruisse cum Hebræum textum Matthei originale transtulerit. (2) Neq; *Hilarium* neq; *Chrysostrum* hæc verba unquam allegasse. At enim vero, quemadmodum non levem errorem committunt ii qui sibi aliisque persuadere satagunt Mattheum Evangelium suum ebraico idiomate concepisse, illudq; ab *Hieronymo* græce redditum fuisse, quod contra *Bellarminum, Maldonatum & Baronium* evincit *D. Pfeifferus Critica S. p. 61. nec non Wagenfeilius de lingua N. T. authentica & imprimis Matthæi Altorffi. 1691. ut & M. Schrædterus Diss. de Lingua Matthæi authentica Witt. 1699. recuf. 1702.* Ita sine ullo etiam antiquitatis & veritatis fastigio affirmare tentatur, *Hieronymum* boni translatoris officio adeo defuisse, & verba quædam interpolasse, quam interpolationem neq; intimus verborum & antecedentium & consequentium nexus cogitare permittit. Præterea *Hilarius* hunc locum silentio involvisse frustra dicitur. Quandoquidem ille *L. II. de Trinitate* adversus *Sabellium & Ebionitas* hujus d. Cii mentionem facit. *Chrysostrum* vero in Expli-
catione

catione sua Matthæi ad hoc usque XXVIII. caput non perve-
nit. Neque est quod excipiat ullus, etiam in aliis Scripturæ
locis creatorem atque creaturam componi; videatur 1. Sam.
XII, 18. 1. Chron. XXX, 20. 1. Tim. V, 21. Apoc. XXI, 12.
Enimvero in allegatis locis Deus & creaturæ non fiuntur tan-
quam pares; sed tanquam impares. Ubi autem in hac bapti-
smi formula conjunguntur, palam est, personas illas tan-
quam æquales conjungi æquali potestate gaudentes peccata
remittendi & adoptandi. cf. in hunc locum *L. Eliæ Sigis-
mundi Reinhardti Diss. præliminaris contra Socinianos, quod,
etiamsi Spiritus S. certissimam illam Canonis Græci Particulam
1. Joh. V, 7. nunquam dicitasset, eadem tamen concludendi
vis contineatur in Matth. XXVIII, 19.* Lips. 1663. recus. 1703.
*D. Faustii Diss. de adorando S. S. Trinitatis mysterio. Ar-
gentor. 1667. & D. Joannis Deutschmanni Diss. de Baptismi
doctrina, Witt. 1668.*

§. IV.

Et quidni ad Scripturam S. firmissimæ ad instar an-
choræ confugeremus, thesuros nostræ fundamenta & fir-
mamenta exinde petituri? Est & manet illa, sicuti totius
mysterii de S. Trinitate, ita & Doctrinæ de Spiritu S.
divinitate, unicum atque unum cognoscendi principium (m).
Quod multo minus spem nostram hoc in articulo cogno-
scendo & probando frustrabitur quo majori momento cre-
dendique necessitate ille existit. (n) Quod si enim Spi-
ritus S. nos regenerat, sanctificat, adorandique honorem
a nobis sibi exigit; quis de necessitate divinitatis ejus
cognoscendæ dubitare ausus fueri? (o)

(m) Præter quod humanæ etiam rationi hujus mysterii co-
gnitionem attribuere voluerunt *Kekermanno* antiquiores &
recentiores. Quæcunque autem ex hoc rerum universo
B pro-

proferuntur similia, nequaquam hujus mysterii peruestigationi, immo ne illustrationi quidem, satis inserviunt. vid. D. Jo. Schmidii *Diss. de Mystero Trinitatis ex natura non demonstrabili*, & D. Kochii *questio Theol. Num sancta Trinitas ratione possit peruestigari?* Helmstadii 1724. 4. nec non D. Zachariae Grabii *Theol. Controversiarum recens controversarum* C. II. p. 201.

(n) Quam una cum totius articuli de S. S. Trinitate credendi necessitate dubiam reddere audent Sociniani. En verba Socini in *Institut. relig. Christ.* quæ prostant in *Bibliotheca Fratrum Polonorum Tomo I. p. 652. quid igitur concludis? Nempe id, quod per te ipse jam intelligere potes, videlicet, cum Dei essentia sit una numero. Deut. VI, 4. necesse esse, ut una etiam numero sit in Deo persona, & nullo pacto plures. Nam si plures persone divinae essent, plures & jam divinas essentias esse oporteret. Estne necessarium ista scire aut credere? Est quidem necessarium, si quis veritatem plane nosse aut credere velit. Sed ad vitam eternam consequendam non crediderim esse omnino necessarium. Plura Socinianorum testimonia confutata vide in D. Buddei *Diss. Theol. de Necessitate credendi S. S. Trinitatem.* Jenæ 1723. Succinit Socinianis Christianus Democritus alias M. Joannes Conradus Dippelius in *Summarischen und aussrichtigen Glaubens-Bekanntnisse.* Art. II. p. 16.*

(o) Esse quædam in Doctrina de Deo quæ magis mirari quam rimari decet Basilius jam docuit *Homilia XXVI. de Martyre Mamante Tomo I. Operum edit. Par. p. 517. πόσος Θεός, καὶ τί τὸ μέτρον αὐτοῦ, καὶ ποταπὸς τὴν ἕσταν τὰ τοιαῦτα ἐπικίνδυνα μὲν τῷ ἐρωτῶντι, ἀπορία δὲ τῷ ἐρωτουμενῷ, σιωπὴ δὲ θεράπεια τῶν τοιούτων* ἐστὶν cfr. D. Barthii *Diss. de Ignorantia Theologorum docta.*

§. V.

Quam ob rem & post fata ii sunt extollendi Theologi, qui ex Scriptura S. Spiritus S. divinitatis causam mascule perorarunt (p)

(p) Ex quibus præstantiores hic tantum recensere juvat ex Nostratibus qui peculiaribus *Dissertationibus* hanc defensionem susceperunt. En itaque sequentes:

1. D. Tilemanni Heshusii *Propositiones de aeterna Divinitate Spiritus S.* Jenæ 1572.
2. D. Burchardi Harbarti *Theses doctrinam de Spiritu S. methodice explicantes.* Lipsiæ 1593.
3. *Johannis Peregrini J. U. St. Dissertat. de hoc problemate An Spiritus S. sit persona per se subsistens, eaque distincta, & an aequè ut Pater & Filius vere & essentialiter Deus.* Witt. 1612.
4. D. *Johannis Quistorpii Diss. Theol. de Spiritu S.* Rostochii 1635
5. D. *Joannis Schmidii Diss. de Tertia SStæ Trinitatis Persona Spiritu S.* Argentorati 1637.
6. D. *Jo. Scharffii Diss. Theol. de Spiritu S.* Witt. 1649
7. *Ej. Diss. de Spiritu S. Divinitate, Personalitate, ejusque aeterna a Patre & filio Processione.* Witt. 1650.
8. D. *Jo. Meisneri Diss. de Processione Spiritus S.* Witt. 1653.
9. D. *Jo. Beringii Diss. de subsistentia Spiritus S. divina.* Gryphiswaldæ 1653. recus. 1691.
10. D. *Jo.*

10. D. Jo. Meisneri *Errorum Socinianorum fasciculus de Spiritu S.* 1654. Witt.
11. L. Sebastiani Niemannii *Theses Theolog. de Spiritu S.* Jenæ. 1655.
12. Theodorici Hackspanii *Disput. de Spiritu S.* Altorffii. 1657.
13. D. Jo. Ernesti Gerhardi *Diff. de Personalitate Spiritus S.* Jenæ 1660.
14. Job. Conradi Dannhauveri *stylus vindex eterna Spiritus S. a Patre Filioque processionis internæ immanentis emanationis avita religione hætenus credita, ac necessario credenda, nudius, tertius in dubium vocata & negata.* Argent. 1662.
15. Jo. Sebastiani Mitternachtsi *Disp. Synodalis ac præliminaris de ὁμολογία, ἰσχυρολογία καὶ συνωνυμία Spiritus S. ventilanda in Conventu Pastoralis.* Cizæ 1699.
16. D. Jo. Frid. Mayeri *Disp. Theol. de quæst. Theol. Utrum filius a Spiritu S. fuerit missus.* Gryphiswaldiæ 1706.
17. Ej. *Disp. de Johannis Bidelli vitæ ejusque sententia Spiritum S. esse præcipuum angelum.* Ibid. 1710.
18. Ej. *de Christophoro Sandio, illiusque sententia Spiritum S. esse Genus angelorum.* Ib. 1710.
19. D. Godofredi Olearii *Diff. de Spiritu S. cum Patre & Filio Adoratione. & Glorificatione.* Lipsiæ 1711.

§. VI.

Sed adhuc alia etiam supersunt arma, contra adversariorum insultus Spiritus S. divinitatem defendendi. Illis enim Scripturæ dicta hypothesebus suis accommodantibus & ut plurimum primæ ætatis Christianorum silentium de illa simulantibus; non melius occurri potest, quam si ex posteriorum grege producuntur, ex quorum egregiis dictis noster cum iis consensus elucet. Non quasi cum Pontificiis Scripturæ S. honori & prærogativæ aliquid detracturi patrum testimonia pro fidei nostræ principio venditare audeamus; sed quia hac methodo κατ' ἀπορροπον disputare necessitas nos jubet. Neque negari potest primæ Ecclesiæ testimoniis eximiam christianæ fidei dogmata confirmandi virtutem inesse. Quandoquidem æqua iudicii lance pessitantes hoc vel illud dogma ab hominum cohorte per universum hunc terrarum orbem literarum studiis undique florentem a variis Doctoribus collecta & dispersa, imo omni scientiarum genere cultissimis membris distincta, nullaque lucri aut honoris spe invitata, unanimi consensu creditum fuisse; fateri cogimur illud veritatis vel probabilitatis saltem speciem præ se ferre. (q) Eam ob causam primæ ecclesiæ testimonia adversus pnevmatomachos strinxere *Wittichius*, *Bullus* (r) alique, exemplum eorum secuti, qui Divinitatis Christi promachi ex primæ ecclesiæ consensu suppetias petiverunt. Et cum supra citatus *Whistonus* æque ac alii Pnevmatomachias suæ socii præter Scripturam priorum a Christo nato seculorum Christianos itidem accusare haud erubuerit, divinitatis Spiritus S. mentionem prorsus non fecisse; Varia eaque luculenta testimonia & Spiritus S. divinitatem afferentia, & Christianam antiquitatem a silentii criminatione vindican-

ria Whistono opposuit B. D. Olearii *Diff. antecedente* §. a nobis commemorata. (s)

(q) *Cotta apud Ciceronem L. III. de Natura Deorum: Me ex ea opinione, quam a majoribus accepi de cultu DEORVM immortalium non ullius unquam oratio aut docti aut indocti movebit.*

(r) *Theologus Anglicanus in Defensione fidei Nicænae de aeterna divinitate filii DEI in qua etiam Symbolum Constantinopolitanum de divinitate Spiritus S. ex antiquorum testimoniis adstruit.*

(s) Postquam anno 1712. prodierant Ernesti Grabii exempla defensionum & emissorum in Guil. Whistoni collectione testimoniorum Scripturae & patrum contra verum filii & Spiritus Sancti Deitatem qui tractatus recensetur *Actorum Eruditorum MDCCXIII. p. 165.* qui item Anno 1711. Oxonii contra Whistonum ediderat: *An Essay upon two Arabick Manuscripts i. e. Tentamen circa duo manuscripta Arabica Bibliothecæ Bodlejanæ & antiquum illum librum qui dicitur; Doctrina Apostolorum, quique in illis creditur exstare in quo Whistoni errores circa utrumque clarissime probantur. vid. Acta Eruditorum MDCCXII. p. 201. & Whistoni Tr. de hisce MStis ibid. p. 169. recensitum.*

§. VII.

Nos in præsentem ex primævæ ecclesiæ testimoniis spicilegii ad instar exhibebimus, quæ a piis Martyribus pro asserenda Spiritus S. deitate prolata, a Whistono autem in dubium vocata fuere. Quantum illa, præ reliquis ecclesiæ testimoniis emineant, quis est, qui non videat? (t) quippe quæ non proverbialibus tantum sed realibus etiam testimoniis habere decet. Edocent illa assensum ex interna Spiritus S. convictione productum, quem iis dogmatibus præbebant,
pro-

propter quæ vexabantur, cruciabantur, trucidabantur, quibus tamen presentibus periculis, quæ per nudam christianorum dogmatum abnegationem vel dissimulationem evitare facile licebat, non prohibebantur, quo minus internum animi sui assensum pro irritatis hostium concionibus profiterentur; sed potius evenit, ut in ea sententia firmarentur se christiano nomine indignos æternæque salutis olim expertes futuros, nisi ad ultimum usque vitæ halitum fortuna secunda, aliisque bonis longe posthabitis huic vel illi divino dogmati adstipularentur. Neque officit huic veritatis argumento, quosdam & olim & nostra ætate gentilium, Muhammedorum & Pontificiorum eo superstitionis abreptos & excecatos fuisse, ut & ii maximos sæpe cruciatus subierint; unde cl. Bahus hoc Argumentum labefactare annisus fuit: (u) Insigne huic Argumento pondus addit, quod, ad quos nosmet provocamus martyres non cruciatibus solis, sed & morti obnoxii fuerint, cujus constans perpessio humanis viribus sublimius longe principium prodit. (v) Id quod majorem etiam in modum multitudine (w) & diversitate r. t. sexus, ætatis, temperamentorum, temporis & officiorum confirmatur, ut huic Argumento sua omnino constet integritas, venerandaque antiquitas laudem omnino mereatur, quod (x) Martyrum Acta publice prælegi curaverit, & Martyribus nomen Episcoporum Deique Antistitum imposuerit. (y) Quorum exemplo excitari Martyrum testimonia recentiorum nonnulli ad vindicandam & S. Trinitatis & Divinitatis Jesu Christi mysterium collecta eruerunt. (z)

(t) Recte igitur *Justinus Martyr Apol. II pro Christ.* p. 30. edit. *Hutchini* pronunciat: πάντα ἃ ἐν ἡμῶν ἔχει ἐκ τῆς καὶ τῆς φροντικῆς καταφρονῆν ἡμῶν θανάτου, λογισμὸν ἔλκοντα. Omnes igitur veri

veritatem nostræ professionis ex eo colligunt, quod magno animo mortem contemnunt. Ipse Spiritus S. 2. Cor. IV, 10. II. ex morte Apostolorum doctrinam de Vita Jesu probavit. cf. D. Mosheimius Demonstratione Vitæ Jesu ex morte Apostolorum Helmstadi 1724. nec non Ejusdem Heilige Reden P. I. n. 1.

(u) In *Dictionario Historico-Critico sub voce Mahomed.* p. 19.

(v) Cf. *D. Buddei Theologiam Moralem.* p. 639.

(w) Ab Henrico Dodwello *Diss. Cyprianicarum XI. in dubium vocata, a Ruinaro autem Prolegomenis ad Acta Martyrum vindicata.*

(x) Observante *Ruinaro Actis Martyrum.* p. 4. edit. 1713.

(y) Annotante cl. *Sibero Diss. de Martyribus Divinitatis Jesu Christi testibus.* §. 13.

(z) Commemoranda hic est doctissima summe reverendi *L. Siberi Diss. de Martyribus Divinitatis Jesu Christi testibus; Autori libelli; Platonisme dévoilée; Christi divinitatem ad orientem MDCCXIV. opposita. Cujus blasphemæ scripti auctoris Jo. Clerico in Bibliotheca selecta Tomo 26. P. p. 1178. Mfr. Sovverain appellatur. Ante eum M. Paulus Bornagius Filcaviensis Pannonius Witt. 4to edidit. Confessionem Martyrum de Mystero Sacro - Sanctæ Trinitatis veterum monumentis succincte illustratam.*

§. VIII.

Alienum est ab instituti nostri ratione, in originem, divisionem atque certitudinem Actorum Martyrum pluribus inquirere. (aa) Gratissimo veneramus animo studium, quod cl. *Theodoricus Ruinarus* iisdem colligendis navavit. Quorum licet non singula æquo assensu, digna videantur; plurima tamen promerentur, quæ & *Anti-Trinitariis & Chri-*
stoma-

stomachis, nec non *Pneumatomachis* piorum Martyrum testimonia dissimulantibus objiciantur. Ex quibus nos etiam seligemus testimonia, quæ fide digna Divinitatis Spiritus S. causam perorant. Demonstrabunt illa non solum, quod Spiritum S. Deum appellandum esse crediderint, sed quod eundem quoque Patri atque filio essentia parem existimaverint, unde simul ipsorum cum nostra de S. S. Trinitate doctrina consensus conspicitur.

(aa) Sunt nimirum alia *Proconsularia & Prasidialia*, ab ipsis Præsidibus composita; alia ab *ipsis Martyribus* adornata; alia ab *adstantibus veluti testibus* consignata; alia ab *Ecclesiis Martyrum* confecta; alia a *Doctoribus & Episcopis* antiquissimis, more oratorum conscripta; quarum tres superiores classes præ duabus posterioribus certitudinis prærogativa gaudent. Observante cl. *Sibero* laudata Dissert. §. 19.

§. IX.

Prodeat itaque ex gloriosa illa Martyrum cohorte Apostoli & Theologi Johannis discipulus ad doctoris sui vitam & doctrinam optime conformatus Smyrnesium Seculo secundo a nativitate Christi Episcopus vigilantissimus *Polycarpus*, qui ab ecclesiæ christianæ inimicis damnatus & nunc pyra imponendus, elato ad sidera vultu hæc preces ad DEVM TRINVNUM fuisse legitur: (bb) *O Deus Angelorum, Deus Archangelorum te benedico, tibi serviens; qui me dignum hac passione duxisti, ut percipiam partem coronamque martyrii, per Jesum Christum, in unitate Spiritus S. ut completo hujus diei sacrificio promissa tue veritatis accipiam. Ob hanc rem te benedico in omnibus & glorior Te per aeternum Pontificem, omnipotentem Jesum Christum, per quem Tibi, &*

C

cum

*cum ipso, & cum Spiritu Sancto gloria nunc & in futurum
in secula seculorum!*

(bb) Vid. *Ruinartus* l. c. p. 35. cujus testimonii posteriora verba paulo aliter leguntur apud *Eusebium Historia Eccl.* L. II. c. 15. διὰ τῆς αἰωνίας ἀρχιερέως Ἰησοῦ χριστοῦ τῆς ἀγαπητῆς σου παιδός, δι' ἧ σοὶ σὺν αὐτῷ ἐν πνεύματι ἀγίῳ δόξα. eodem tamen sensu remanente uthinc difficile, imo temerarium etiam esset, definire velle, utra lectio parum inter se discrepans sit genuina? vid. *D. Olarii Diss. supra laudat.* p. 21.

§. X.

Excipiat Polycarpum Lugdunensis civitatis indigena, a clarissimis parentibus editus, & literarum bonarum peritissimus *Epipodius*. (cc) Ille enim eodem Seculo ob christianam fidem vinculis injectus, & a pagano iudice minis pariter ac blanditiis ad palinodiam illectus, multos post pugnorum ictus exceptos mixtis cruore dentibus hæc verba profudit: *Christum cum Patre & Spiritu S. Deum esse confiteor.*

(cc) Vid. *Ruinartus* p. 76.

§. XI.

Iisdem ferme verbis etiam utebatur *Vincentius Licta* (dd) & nobilitate gentis, & variarum artium scientia, & gravissimo Episcopi officio, quod *Cæsar-Augusta* Seculi quarti quarto anno maxima cum fide obiit, post fata adhuc celebratissimus cum *Dacianus* Præses gentilis

tilis

tilis *Diocletiani* & *Maximiniani* Imperatorum jussu in Christianos sæviens, nostrum quoque *Vincentium*prehendisset, variisque torminibus illatis, animum ejus constantem frangere, & in suam sententiam cogere tentasset. Dictu enim & cogitatu aspera & horrenda tormenta perpeffus subridens exclamasse fertur: *Dominum Christum confiteor, filium altissimi Patris unici unicum, ipsum, cum Patre & Spiritu S. unum Deum esse profi.eor.*

(dd) Vid. *Ruinartus* p. 369.

§. XII.

Neque hic prætereundos esse existimaverim duos illos milites, qui præter Imperatoris sui, Servatoris etiam sui Jesu Christi castra secuti fuerant, & quorum alteri *Bonosi* alteri *Maximiliani* nomen erat. (ee) Illi sub Seculi Vlti finem, *Juliano Apostata Christianorum* cœtus crudelissimis modis vexante, christiani nominis ergo, quo a Christiana fide alienis, nihil turpius, nihil infensius olim extitisse *Lactantius Autor est*, *Apologia C. II. (Christianis solis nihil permittitur loqui, quod causam purget, quod veritatem defendat, quod judicem non faciat injustum; sed illud solum expectatur, quod odio publico necessarium est: Confessio nominis, non examinatio criminis,)* accusabati bestiis ad lacerandum objiciebantur; nihilo tamen secius, fortissimorum instar de atrocissimæ mortis timore victorum invicto animi robore affirmabant; *Se nec vestias timere, nec promissa vereri, sed*

C. 2

ba-

habere Deum Patrem & Jesum Christum filium ejus & Spiritum Sanctum, per quem hæc omnia superent.

(ee) Vid. Ruinartus p. 595.

§. XIII.

Patri vero & filio Spiritum S. æqualem esse credentes pii illi Antiquitatis christianæ martyres, adorandi cultum ipsi adscribere nulli dubitarunt; siquidem *Euplius* (ff) diaconus quarti Seculi quarto anno ob confessum Christi nomen captus, multisque cruciatibus affectus crudeles suos tortores sequentem in modum alloquebatur: *Patrem & filium & Spiritum S. adoro, Sanctam Trinitatem adoro, præter quam non est Deus.* Idemque jussus (gg) ut DIIS sacrificaret, respondit: *Ego sacrifico & immolo me ipsum Patri & filio & Spiritui S.*

(ff) Vid. Ruinartus p. 409.

(gg) Idem p. 408.

§. XIV.

Audiamus quæso, *Martialem* (hh) unacum *S. Fausto & Januario* ab *Eugenio* Præfide Cordubæ memorato modo seculo igni devotum, ad iniquum suum judicem hæc verba protrudentem: *Consolatio mea Christus est, quem illi gaudentes & exultantes voce præconi testantur, ideo.*

idemque confitendus & laudandus est Deus Pater, & Filius
& Spiritus S.

(hh) Vid. Ruinartus p. 536.

§. XV.

Advocemus huc *Felicitatem* (ii) *feeminam* illu-
strem, quæ anno tertio supra centesimum ævæ christianæ
unacum septem filiis suis, *Antonino* Imperatore Christia-
nos vehementer affligente, ad *Publium* Præfectum Impe-
ratoris ducta, de sacrificiis idolis faciendis suaviter non
minus quam dure admonebatur, attamen neque minis
perterrefacta, neque blanditiis invitata publice profite-
batur: *Nec blandimentis tuis resolvi potero, nec terroribus
tuis frangi, habeo enim Spiritum S. qui me non permittit
vinci a diabolo, & ideo securus sum, quia viva Te supera-
bo, & si interfecta fuero, melius Te vincam occisa.*

(ii) Vid. Ruinartus p. 26. & Siberi Orat. p. 16.

§. XVI.

Adjungat se ipsi *Afra* (ll) quam trecentesimo post
Christum natum anno Augustæ, ad provinciam Rætiam
sitæ, comprehensam & a *Judice Gajo* sollicitatam, ut
Christi sacris se abdicaret, sarmentis & igne supposito
undiquaque circumdatam dixisse accepimus: *Tibi, Christe,*

C3

offero

*offero sacrificium meum, qui cum Patre & Spiritu S. vivis
& regnas Deus in secula Seculorum,*

(ll) Vid. *Ruinartus* p. 456.

§. XVII.

Quam sequenti ejusdem Seculi anno *Julitta* (mm) quaedam christianæ doctrinæ confessione imitata fuit. Delata enim ad *Alexandrum Seleucia Praefectum* & nunc capite plectenda, postquam filius ipsius pede arreptus e sublimi folio terræ allisus erat, hæc in verba erumpebat: *Benedicat Spiritus meus Patrem tuum, Cbriste, Deum omnium conservatorem ac universorum opificem, sanctumque Spiritum in Secula! Amen.*

(mm) Vid. *Ruinartus* p. 480.

§. XVIII.

Quod si denique hymnus iste, quem *Atbenogenes* *Clementi Alexandrino* Synchronus & sub Severo Imperatore Martyrio extinctus, ad pyrum ducendus suis discipulis compositum reliquit, per temporis injuriam ætatem tulisset, magnam omnino lucem huic instituto nostro affudisset. Provocat ad eum ipse *Basilus M.* (nn) & de eodem asserit; *ut quis illum hymnum noverit, martyrum quoque de Spiritu S. sententiam cognoscere possit.*

(nn) *Libro de Spiritu S. ad Amphilochem* c. XXIX.

§. XIX.

Interim hic silentio non involvendam esse censemus *hymnorum bigam* a Martyribus divino zelo percitis Christo quidem primario in honorem compositam, ipsorum tan en mentem de Spiritu S. divinitate, quam cum *Patre & Spiritu S.* communem habet, nobis exponentem. Exhibet alterum *Brianus Waltonus* *Biblis Polyglottis* T m) VI. (post collationem LXX.

in-

interpretum; & Editionis Romanæ cum Veneta, folio ultimo) in quem e Codice Alexandrino per Theodam Martyrem descripto & a Cyrillo Lucare Carolo II. Regi Angliæ dono misso relatus est. Et quamvis non temere credamus illam ab ipsis Apostolis conscriptum fuisse; (οο) antiquissimum tamen illum esse existimamus.

Δόξα ἐν ὑψίσοις Θεῷ
 Καὶ ἐπὶ γῆς εἰρήνη
 Ἐν ἀνθρώποις, εὐδοκία.
 Ἄινῶμέν σε,
 Εὐλογῶμέν σε,
 Προσκυνῶμέν σε,
 Δοξολογῶμέν σε,
 Ευχαριστῶμέν σε,
 Δία τὴν μεγάλην σε δόξαν,
 Κύριε βασιλεῦ,
 ἐπεράνιε,
 Θεὸς πατὴρ παντοκράτωρ,
 Κύριε υἱὸς μονογενῆ,
 Ἰησοῦ χριστέ,
 Καὶ ἅγιον πνεῦμα,
 Κύριε ὁ Θεός,
 Ὁ ἀμνὸς τῆ Θεῶ,
 Ὁ υἱὸς τῆ πατρὸς
 Ὁ αἰρων τὰς ἀμαρτίας τῆ κόσμῳ
 Ἐλέησον ἡμᾶς,
 Ὁ αἰρων τὰς ἀμαρτίας τῆ κόσμῳ,
 Ἐλέησον ἡμᾶς,
 Προσδέξαι τὴν δέησιν ἡμῶν.
 Ὁ καθήμενος ἐν δεξιᾷ τῆ πατρὸς,
 Ἐλέησον ἡμᾶς.
 Ὅτι σὺ εἶ ὁ μόνος ἅγιος,
 Σὺ εἶ ὁ μόνος κύριος
 Ἰησοῦς χριστὸς
 Ἐἰς δόξαν Θεῶ πατρὸς. Ἀμήν

Αἴτη

Alterum nobiscum communicavit *Jacobus Usserius* in *Addit. ad Diff. de Symbolis, ex Basilii Libro de Spiritu S. ad Amphiloebium* c. 29. quo & *Spiritui S. pro vespertino lumine gratias egerunt* eq; ad *Patri & Filio*. Φῶς ἰλαρὸν ἁγίας δόξης ἀθανάτης πατρὸς ἕρανις, μάκαρος ἰησῆ χριστῆ: λεθόντες ἐπὶ τῆ ἡλίῃ δύσιν, ἰδόντες Φῶς ἐσπερινὸν υμνῶμεν πατέρα καὶ υἱὸν καὶ ἅγιον πνεῦμα θεῶν. Ἄξιός ἐστι ἐν πᾶσι καιροῖς ὑμνεῖσθαι Φωναῖς ὁσίων υἱε θεῶν ζῶν ὁ διδῶς. Διὸ ὁ κόσμος σε δοξάζει. De cujus Autore; utrum *Athenogenes* fuerit? licet ipse *Basilius* nihil certi definiverit; constat tamen ex eodem illum ejus ætate jam antiquissimum fuisse. Jambis hunc posteriorem expressit *Prudentius*:
O lux beata Trinitas.

(oo) Uti *Stephanus Durantus* L. II. de ritibus *Ecclesie* c. 14. *Pseudo-Clementis* autoritate motus adstruere voluit, notatus a *Dalleo*. L. IX. de cultibus *Religiosis* c. VII,

(pp) Quæ antiquitas p. exinde apparet, quia illius mentio injicitur *Pseudo-Clementis* *Constitutionibus Ecclesiasticis* ex communi eruditorum sententia ritus inclinante *Seculo secundo* & sub auspiciis *terti* *Seculi* in ecclesia usitatos describentibus p. quia illum *Athenogenes* etiam commemorat *Tr. de Virginitate circa finem*. Præterea cl. *Tenzelius* *Diff. Selectis* Ex. X. ex illo hymno Canticum Eucharisticum; *Te Deum laudamus*; successu temporis enatum esse evincit.

§. XX.

Faceſſat nunc *Whistonus*! Eant omnes & singuli *Pneumatomachi*! qui doctrinam de *Spiritu S. divinitate primæ* christianorum ætati ignoratam præcipua inter divini cultus momenta a nobis male collocari criminantur. Relinquimus eis aculei loco memoratu dignissima verba a *Montano* *Seculo tertio* christianæ religionis causa vita privando. (qq) prolata, quibus hæreticorum superbiam & improbam contumaciam retundere studuit, *Contestans eos, ut vel de copia martyrum intelligerent ecclesie veritatem ad quam redire debeant.*

(qq) Vid. *Ruinartus* p. 234.